

In illis ergo omnibus licitum est sacramentum poenitentiae accipere, quando persona causam interdicti non dedit, aut alia censura non obstat, ut statim dicam. Et quidem de interdicto generali loci id habetur expresse in textu; de particulari vero etiam locali tum ex illa particula, *vel locus alius*, tum ex paritate rationis, quando persona non magis fuit in culpa, cur interdictum particulare poneretur, quam generale. Eademque ratio est de interdicto personali generali, quod in textu significatur per illam particulam, *seu universitas*.

15. *Prima limitatio propositae assertionis. — Refellitur quorundam sententia. — Tertio observandae sunt duae limitationes, quae in textu ponuntur. Prima, Dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti, praeterquam in mortis articulo, nolumus ad eandem, scilicet poenitentiam. Circa quam dubitari potest, an sit sermo de excommunicatis tantum propter causam interdicti, vel quocumque alio nomine. Quidam priori modo intelligunt, ut Sylvester, verb. *Interdictum*, 5, num. 9, et Tabiena, num. 6, et Armilla, num. 45, et ratio esse potest, quia per se non est prohibitum excommunicatum absolvi quocumque tempore in foro poenitentiae, absolvendo illum prius ab excommunicatione; alioqui neque in articulo mortis licitum erit excommunicatum absolvi a peccatis, non prius absolvendo a censura. Alii vero censent verba illa intelligenda esse absolute de quacumque excommunicatione, ita ut textus ille prohibeat absolvi tempore interdicti a censura excommunicationis, et ideo etiam prohibeat excommunicatum a peccatis absolvi, quia verba textus absoluta sunt, et sine limitatione, et ideo non sunt sine cogente ratione restringenda. Item, quia ad absolvendum ab excommunicatione requiruntur aliquae caeremoniae, quae inter divina officia computantur juxta cap. A nobis, secundo, de Sentent. excommunicationis. Verumtamen haec ratio licet habere possit locum in absolutione solemnibus, quae in exteriori foro certis caeremoniis fit, tamen in absolutione, quae in foro interiori fieri potest, non procedit; quia sine illis precibus, vel caeremoniis fieri potest, et eisdem fere verbis, quibus datur absolutio sacramentalis, dari potest. Ut autem excommunicato tribui possit poenitentiae sacramentum, sufficit absolutio excommunicationis illo posteriori modo data; ergo non est verisimile propter illam*

rationem prohiberi in illo textu, ne excommunicatus in foro poenitentiae absolvatur, et a peccatis, et ab excommunicatione. Unde Panormitan. in cap. finali de Excessib. Praelatorum, num. 5, dicit non esse prohibitum tempore interdicti absolvi ab excommunicatione, saltem quando absolutio non datur cum solemnitate praescripta in dicto cap. A nobis; secus enim censet, quando cum illa fit, de quo postea dicam; ad rem enim praesentem illud prius sufficit.

16. *Non prohibetur privata absolutio ab excommunicatione tempore interdicti. — Censeo igitur, in dicto cap. Alma, non prohiberi absolutionem ab excommunicatione privatim concessam tempore interdicti, si alioqui excommunicatio non sit reservata, neque aliud impedimentum interveniat, praeter interdictum, quia ante dictum cap. Alma, hoc non erat prohibitum; imo videbatur concessum concessa facultate absolvi a peccatis mortalibus, juxta cap. Nuper, de Sentent. excom. Neque in dicto cap. Alma, fit nova prohibitio, sed solum non conceditur in hoc speciale privilegium. Quapropter, vel textus ille intelligendus est de absolutione solemnibus et in foro exteriori, vel exponendus est de excommunicatione lata ob causam, et culpam, in qua fundatur etiam interdictum; vel certe (quod probabilissimum mihi est) loquitur de excommunicatione reservata, ita ut illud relativum, *Quos admitti, etc.*, sit restrictivum eorum excommunicatorum, quos simpliciter nominaverat; quem sensum Glossa ibi tetigisse videtur.*

17. *Secunda limitatio. — Utrum validum sit sacramentum poenitentiae collatum specialiter interdicto. — Alia limitatio est de illis, propter quorum culpam latum est interdictum; quibus non est concedenda poenitentia, nisi prius satisfecerint modo ibi praescripto, et jam a nobis in superiori puncto explicato. Ex qua limitatione a fortiori colligimus, eum, qui personali, et particulari interdicto ligatus est, non posse sacramentum poenitentiae recipere; quia hujusmodi interdictum nunquam fertur. An vero sacramentum poenitentiae collatum personae sic interdictae specialiter, seu ratione propriae culpae validum sit, idem judicium est, quo de excommunicato; quia quoad hanc prohibitionem eodem modo se habent, ut recte notavit Glossa in cap. Praesenti, verb. *Generaliter*, de Sentent. excommunicationis, in 6.*

18. *Sacramentum poenitentiae potest mi-*

nistrari in loco interdicto. — Sed quaeret aliquis, an tempore interdicti localis possit hoc sacramentum ministrari etiam in loco interdicto. Et quidem, quando interdictum est generale loci, non videtur habere dubium, quia tunc tota terra est interdicta, et non oportet extra illam, vel ad locum distantem ire ad hoc sacramentum suscipiendum; et hoc est, quod directe concedit cap. Alma mater, alias nihil novum quoad hoc sacramentum induxisset. At vero quando Ecclesia tantum vel alius similis locus est specialiter interdictus, quidam censent non esse in eo sacramentum poenitentiae administrandum, quia commode potest extra Ecclesiam in alio loco non interdicto dari. Sed hoc non satis est, nisi ostendatur prohibitio, quia non sufficit antiqua generalis; quia in dicto cap. Alma mater, videtur limitata etiam circa interdictum particulare loci, ut supra expendi; quae limitatio nulla fuisset, nisi liceret etiam in tali loco sic interdicto poenitentiam administrare, quia extra illum antea etiam licebat. Accedit, quod haec sacramenta, quae tempore interdicti permittuntur, fieri possunt cum omni decencia, vel requisita, vel magis conveniente; ad hanc autem spectat quod sacramentum poenitentiae detur in Ecclesia, vel in loco sacro; et ideo probabilius credam per se concedi, ut hoc sacramentum dari possit in Ecclesia specialiter interdicta, quod etiam confirmant dicta in simili de baptismo et confirmatione.

19. *Qui causam interdicti non dedit, potest poenitent. sacr. ministrare. — Non vero qui causam interdicti dedit. — Dicendum superest de activo ministerio hujus sacramenti. De quo primo constat non prohiberi per ullum interdictum locale ei, qui causam illi non dedit. Probat, tum ex dictis de aliis sacramentis, tum etiam quia per hoc interdictum non arcentur a divinis personae, quae illi causam non dederunt, nisi in ordine ad talem locum; sed ministerium hujus sacramenti jam non est prohibitum in loco interdicto per dictum cap. Alma; ergo. Secundo existimo probabilius personas innocentes non privari hoc ministerio per interdictum generale personale. Probat, tum ex dictis de confirmatione, nam hoc sacramentum magis necessarium est, tum quia eadem exceptio de illo fit in jure; et praeterea fit absolute de usu talis sacramenti, unde comprehenditur tam activus quam passivus, quia unus sine alio esse non potest, et ita eadem est utriusque ratio. Tertio,*

persona specialiter interdicta, vel directe, vel indirecte, quia causam dedit interdicto generali, privata est ministerio activo hujus sacramenti. Probat, tum ex dictis de baptismo. Semper tamen excipitur casus necessitatis proximi, in quo etiam excommunicatus potest poenitentiam dare; interdictus autem specialiter, ad summum aequiparatur excommunicato.

20. *An sacramentum ministratum a nominatim interdicto validum. — Pars negans. — Quid in hoc dubio sentiendum. — Sed quaeri potest, an sit irritum hoc sacramentum a persona sic interdicta ministratum. Loquor autem per se, et ex vi censurae; nam ex prava dispositione poenitentis facile poterit hoc sacramentum esse nullum, juxta specialem proprietatem ejus; de qua alibi. Difficultas ergo propria erit, si poenitens bona fide accedat. Deinde supponendum est, confessorum esse nominatim interdictum, ac denunciatum, alias juxta Extravag. *Ad evitanda*, nondum erit privatus usu potestatis suae in ordine ad alios; et ideo sacramentum validum erit, licet peccet ministrando. Difficultas ergo est, an interdictum ut sic non solum prohibeat usum, sed etiam tollat jurisdictionem; nam si non tollit, erit validum sacramentum, per se loquendo; si vero tollit, erit nullum. An vero tollat, necne, non invenio in jure expressum, nec a Doctoribus satis definitum. Affirmans vero pars suaderi potest, quia haec censura privat rebus divinis quantum potest, nisi in jure limitetur: ergo. In contrarium vero est, quia interdictum non tollit jurisdictionem; unde censura lata a persona interdicta, vel absolutio ab illa, et alii actus similes valent. Res profecto mihi dubia est: ideo moneo, ut talis absolutio omnino caveatur. An vero in rigore nulla sit, id est, an haec censura tollat jurisdictionem, dicam infra tractando similem quaestionem de irregularitate, in quem locum aliam etiam similem de suspensione ab Ordine remisi, quia horum omnium videtur esse fere eadem ratio.*

De Eucharistia.

21. *Eucharistia per modum viatici potest dari tempore interdicti. — Quomodo applicanda sit assertio ad interdictum locale. — Idem dicendum respectu peregre navigaturi, et similibus. — Distinguendi sunt duo modi recipiendi, vel ministrandi hoc sacramentum. Unus est per modum viatici ob periculum*

mortis, alius est extra illam necessitatem. De priori generalis regula cap. Quod in te, de Pœnitent. et remiss., est: *Ubiq̄ue in jure pœnitentia morientibus non negatur, viaticum etiam, quod vere pœnitentibus exhibetur, comprehendit, quod nec ipsum discedentibus denegetur.* Cum ergo per interdictum jure antiquo et novo pœnitentia non sit morientibus deneganda, etiam viaticum negandum non est. Est tamen notanda differentia inter generale, et particulare interdictum, tam locale quam personale, quod stante interdicto generali locali, potest hoc viaticum infirmis, seu morientibus tribui, etiam in locis interdictis, quia hoc est moraliter necessarium, eo quod tota civitas, vel locus, v. gr., interdictus sit; et ideo sicut hoc conceditur de pœnitentia, ita etiam de Eucharistia. At vero, quando locus est specialiter interdictus, non solum necessarium non est, verum etiam nec moraliter accidit, ut Eucharistia detur in loco interdicto, quia talis locus solet esse Ecclesia; infirmus autem, cui viaticum ministratur, non solet esse in Ecclesia; potest tamen ex Ecclesia interdicta viaticum ad illum deferri. Si contingeret etiam infirmum in tali Ecclesia ægrotare, vel in hospitali tali Ecclesiæ conjuncto, qui simul cum illa interdictus sit, poterit illi in eodem loco hoc sacramentum ministrari. Similiter, quando periculum non esset mortis naturalis, sed violentæ, aut si navigatio longa esset inchoanda, in quo articulo potest is, qui sacramento indiget, ad Ecclesiam accedere, non oportet sacramentum extra Ecclesiam deferre, sed in ea, licet interdicta sit, est ministrandum, quia etiam tunc datur per modum viatici, respectu cujus per se non est prohibitio, neque interdictio; præsertim, quia magis expedit Eucharistiam in Ecclesia dispensare, etiam si interdicta sit, quam in alio profano loco. Quanquam, si plures essent Ecclesiæ, seu loca sacra, consulendum potius esset, ut id fieret in Ecclesia non interdicta, quam in interdicta.

22. *Quid de ligato personali interdicto particulari.* — De personali etiam interdicto advertendum est, si generale illud sit, et particularis persona, quæ illo ligatur, non dedit causam interdicto, absolute posse communicare absque alia prævia satisfactione, vel absolutione a censura, quia cum ipse non deliquerit, non est de quo satisfactio ab illa sit danda, et cum interdictum generale sit, et non liget hanc personam, nisi ex generali

ratione, sicut necessarium non est tale interdictum tolli, ut viaticum detur, ita etiam non est necessarium, ut aliqua absolutio a tali censura præcedat. Secus vero est, quando quis dedit causam tali interdicto; tunc enim præmittenda est satisfactio, quæ ad pœnitentiam concedendam necessaria est, juxta cap. Alma, tum quia hoc sacramentum per se illud supponit, tum etiam quia in præsentem eadem est utriusque concessio. Unde si contingeret posse dari alicui viaticum, et non absolutionem, quia, v. gr., adest diaconus, et non sacerdos, tunc idem modus satisfactionis esset ab illo exigendus, ut probatur satis ex dicto cap. Alma, juncto cap. Quod in te.

23. Atque hoc idem a fortiori locum habet in eo, qui speciali interdicto personali ligatus est; nam ille semper supponitur dedisse causam tali interdicto. Quapropter etiam absolvi debet a tali censura, vel ante absolutionem a peccatis, vel ante viaticum, si prior absolutio dari non potuit, quia omnis censura, quæ per se et directe privat sacramentis, prius tollenda est, quam sacramenta recipiantur. Item quia jam diximus interdictum hoc æquiparari excommunicationi. Quo etiam fit, ut in articulo, omnis, qui potest ministrare sacramentum, possit etiam interdictum auferre quantum ad talem personam, sicut etiam potest auferre excommunicationem. De quo latius infra dicemus.

De activa administratione viatici tempore interdicti.

24. *Sacerdos qui generali interdicto causam non dedit, viaticum ministrare potest.* — *Dubium.* — *Resolvitur.* — Ex quibus intelligitur, quid dicendum sit de activa administratione viatici tempore interdicti. Censeo enim quemlibet sacerdotem, qui non dedit causam interdicto, nec particulari interdicto ligatus est, posse in eo eventu viaticum ministrare, si alioqui jus habet administrandi, quod supponimus. Hoc manifestum est in quolibet interdicto locali; nam illud non impedit hujusmodi personam, nisi quatenus impedit locum, et respective in ordine ad illum; sed tale interdictum non impedit locum in ordine ad viaticum præstandum; ergo neque hujusmodi personam. De interdicto vero personali generali id patet, tum, a paritate rationis, tum maxime quia tale interdictum æque comprehendit omnes personas, quæ causam non dederunt; ergo vel nullam im-

pedit ab hoc ministerio, vel omnes, quia non est major ratio de una quam de alia; suppono enim esse æquales in jure ministrandi. Non potest autem impedire omnes; nam repugnat hoc, si receptio conceditur; ergo nullam impedit. Solum interrogari potest, si in aliquo populo clerus sit interdictus, et solus sit unus parochus, ad quem ex officio pertineat viaticum ministrare, an possit hoc committere aliis sacerdotibus, et illi possint admittere, et exercere, etiamsi generatim interdicti sint. Respondeo: probabilius censeo posse, quia non video specialem prohibitionem, et generalis non sufficit, quia in exceptione viatici totum hoc ministerium includi debet, quia moraliter necessarium est, et quia nihil referre videtur, quod ministerium per ipsum proprium parochum fiat, vel per alium delegatum ab ipso, cum uterque sit æque generatim interdictus. Et ex dictis etiam de pœnitentia, et de aliis sacramentis hoc sequitur.

25. *Sacerdos interdicto ligatus, cui ipse causam dedit, non potest viaticum ministrare si sit alius non specialiter interdictus.* — At vero clericus, qui personaliter interdictus est, vel directe, vel indirecte, quia causam dedit interdicto, non potest, per se loquendo, hoc ministerium usurpare, nisi prius a tali censura absolvatur, quia per talem censuram maxime interdicatur ministerium sacramentorum; et de hoc particulari neque formaliter, neque virtute fit exceptio, ut supra in similibus declaravi. Dixi autem per se loquendo, quia, si sint alii sacerdotes non interdicti specialiter, qui viaticum deferre possint, tunc ille, qui interdictus est, non potest illud ministerium usurpare. At vero, si deesset minister alius idoneus, tunc ob necessitatem poterit sacerdos specialiter interdictus illi succurrere; posset excommunicatus, ut aliis locis late diximus.

26. *An parochus specialiter interdictus possit in hoc sacerdoti simplici suum ministerium committere.* — *An hujusmodi parochus possit hoc ministerium diacono committere.* — Sed quid si parochus sit specialiter interdictus, et solum sint alii sacerdotes simplices? tenebiturne illis committere vices suas, vel alii possunt sua auctoritate se intrromittere, eo quod pastor censura ligatus non videatur posse, aut per se facere, aut auctoritatem dare? Respondeatur primum non posse alium sibi hoc jus usurpare, quia impedimentum alterius non confert aliis tale jus. Deinde in

eo casu non debet parochus per se ministrare sacramentum, quia revera non est necessitas, et alioqui habet absolutam prohibitionem. Debet ergo per alium id facere, potestque et licite, et valide talem facultatem alteri concedere, quia illa concessio non est actus Ordinis, sed jurisdictionis; interdictum autem non impedit jurisdictionis actus, qui non involvunt immediatum usum Ordinis. Propter quod etiam in sacramento pœnitentiæ, potest parochus interdictus ministerium illud, et vices suas alteri committere, eique jurisdictionem in illo foro dare. In quo est differentia notanda inter interdictum hoc speciale, et excommunicationem, quod parochus excommunicatus non potest alteri jurisdictionem committere, quia hic est quidam usus jurisdictionis; excommunicatio autem privat omni usu jurisdictionis; interdictum autem non ita. Sed quæres tandem, si parochus interdictus non habeat alium sacerdotem, sed diaconum tantum, cui hoc ministerium committat, tenebitur nihilominus non per se facere, sed per diaconum? Respondeatur: minime, tum quia jam fere non est in usu Ecclesiæ, ut hoc ministerium committatur diacono, nisi deficiente omnino sacerdote; tum etiam quia hoc spectat ad majorem reverentiam sacramenti, et ad quamdam solemnitatem illius ministerii, quæ servanda est, ut jam dicam.

27. *An tempore interdicti ad ægrotos viaticum cum solemnitate sit deferendum.* — Ultimo dubitari potest, an tempore interdicti viaticum sit ad ægrotos deferendum cum solemnitate et pompa in Ecclesia usitata, an vero servandæ sint circumstantiæ cap. Alma mater, pro exigentia seu proportionem illius actionis. Respondeo ex communi sententia, deferendum esse cum omni comitatu, et honore consueto, et debito, juxta cap. Sane, de Celebrat. Missarum; ita Sylvest., Angel., et alii Summistæ, et Navarr., num. 179, et Covarr., d. c. Alma, part. 2, § 2, num. 7. Et a fortiori patet ex dictis de baptismo et confirmatione; nam si illa sacramenta solemniter ministrari tunc possunt, multo magis Eucharistia; nam illi longe major reverentia debetur, et ad hunc finem totus ille honor ordinatur. Unde rationes aliæ de aliis sacramentis factæ a fortiori in hoc locum habent.

28. *In prædicto casu non omittenda campanarum pulsatio.* — Solum dubitari potest de campanarum pulsatione; nam hæc specialiter videtur prohibita in d. c. Alma. Respondeatur etiam esse licitam, nam in d. c. solum

mandatur, ut Missæ, et alia divina officia dicantur campanis non pulsatis; deferre autem viaticum, non est Missam dicere, aut aliud divinum officium, quod audire eo tempore prohibitum sit; et ideo illa prohibitio ad hanc actionem non extenditur. Quod etiam ex fine talis prohibitionis colligi potest; nam signum cimbalorum datur ad excitandam vel congregandam plebem; quia ergo ad Missas, et divina officia audienda publice et indiscriminatum non est populus admittendus, ideo nec est illo signo publico convocandus. At vero ad sanctissimum sacramentum comitandum, et venerandum, omnes concurrere possunt, et admitti; non est ergo prohibitum prædicto signo illos vocare, et ad reverentiam excitandam. Quia vero in aliquibus locis consuetum est, ut in illa actione campanæ pulsentur cum quadam significatione alacritatis et gaudii, consulendum videtur, ut tempore generalis interdicti illa peculiaris significatio omitatur.

29. *Quantum debeat esse mortis periculum, ut tempore interdicti Eucharistia infirmis deferri possit.* — Poterat tandem hoc loco tractari, quanta debet esse necessitas, et quale mortis periculum, ut sufficiat ad hoc ministerium tempore interdicti præstandum. Sed de hac re videnda sunt, quæ superiori tomo dixi de articulo et periculo mortis, et ad hunc locum sunt applicanda, ex principio posito, quod quoties potest pœnitentia dari propter occasionem mortis, potest etiam Eucharistia. Adde vero non esse necessarium expectare evidens periculum mortis, aut quod infirmitas nimium aggravetur, sed satis esse, quod sit ex suo genere gravis. Itaque quoties iudicio docti medici, infirmitas, vel occasio est ita gravis, ut prudenter quis faciat se ad mortem præparando, petendo viaticum, illi est dandum, quia ista nihil aliud petunt, nisi quod intercedat vera occasio suscipiendi viaticum; cumque hoc ad favorem pertineat, est ampliandum quantum prudenter possit. Unde a fortiori constat idem dicendum esse de quacumque occasione probabili mortis violentæ, et multo magis quando illa certo instat, ut in damnatis ad mortem; suppono enim illis jure non denegari Eucharistiam, ut breviter tetigi in tertio tomo, disp. 69, sect. 3, in fine, et videri possunt, quæ citat Covarr., dict. cap. Alma, part. 2, § 3, d. 3, et l. 2 Variarum, cap. 4, num. 44.

De communi usu Eucharistiæ.

30. *Sacerdotalis usus Eucharistiæ.* — Superest, ut dicamus de usu hujus sacramenti, quando non datur per modum viatici. In quo distinguere possumus duplicem usum, scilicet in sacrificio, vel extra; et priorem vocare possumus sacerdotalem, alium vero laicum. De priori nunc non agimus, quia non est separabilis a Missæ sacrificio, quia nec sacrificium sine tali communione, nec talis communio extra sacrificium fit. Quapropter tunc licet illa communio, quando licet sacrificare; et e converso qui sacrificare non potest tempore interdicti, nec communicare illo modo potest. Quando autem et quomodo sacrificium illud permissum sit tempore interdicti, dicemus disputatione sequenti.

31. *De usu laico Eucharistiæ regula generalis.* — *Occurrit objectioni.* — De communi ergo, seu laico usu Eucharistiæ regula generalis est, jure communi prohibitam esse omnibus ex vi interdicti, juxta modum ejus. Ratio est, quia omne interdictum prohibet sacramentorum usum in his, quæ jure non excipiuntur; sed usus Eucharistiæ non est exceptus extra sacrificium, nisi quando datur per modum viatici; ergo extra illum articulum manet sub generali juris prohibitione, ut recte concludit Panormitanus secutus Calderinum, in cap. Quod in te, de Pœnis et remiss., num. 2. Dices: in cap. Alma, conceditur, ut pœnitentia possit sanis administrari, non obstante interdicto, et in dict. c. Quod in te, dicitur sub pœnitentia comprehendere Eucharistiam; ergo favor ille cap. Alma mater, extendendus est ad Eucharistiam, quæ sanis datur. Respondetur negando minorem; verba enim cap. Quod in te, hæc sunt: *In illo verbo, per quod pœnitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam; quod vere pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus.* Non ergo sub pœnitentia absolute sumpta voluit Pontifex Eucharistiam seu usum ejus comprehendere et concedi, quia hoc nec ex proprietate verborum, nec ex aliqua universali ratione haberi poterat; sed specialiter sub pœnitentia morientium voluit comprehendere viaticum, quia in illo articulo habent illa sacramenta necessariam quamdam conjunctionem. Et ideo concessio illa, quæ de pœnitentia fit in d. c. Alma, pro omnibus etiam sanis, extendi non potest ad communem Eucharistiæ usum.

32. *Tempore interdicti dari nec recipi po-*

test Eucharistia extra periculum mortis. — Ex his ergo fit, ut quando interdictum est generale loci, Eucharistia nec dari, nec recipi possit prædicto modo in toto illo loco interdicto, a quibuscumque personis cujuscumque loci, aut ordinis, seclusis privilegiis, aut specialibus exceptionibus, de quibus statim. Et idem proportionaliter est de interdicto particulari loci quoad illum specialem locum. At vero extra illa loca communicare poterunt omnes personæ, quæ directe vel indirecte non fuerint personaliter interdictæ. Ratio est, quia hæc est vis et institutio interdicti localis, ut constat ex dict. c. Si civitas, et ex aliis juribus supra citatis. Secundo sequitur, quando interdictum est generale personarum, omnes de populo, qui sub illo generatim comprehenduntur, prohiberi absolute Eucharistiam sumere, seu in quocumque loco, quia hæc etiam est vis interdicti personalis generalis, ut ex eisdem juribus constat, et supra declaratum est. De interdicto autem personali particulari a fortiori hoc idem procedit, cum supra dictum sit etiam per modum viatici dari aut recipi non posse, per se loquendo, nisi ablato tali interdicto. Quod idem intelligimus de personis interdictis, ut causam dederint cuilibet interdicto generali, quia tanquam specialiter interdictæ reputantur.

33. *Exceptio regulæ generalis.* — *An jure communi aliquæ personæ a dicta regula excipiantur.* — *Prima opinio.* — Ab hac tamen generali regula excipiuntur illi, qui ad communicandum eo tempore, vel loco, speciale privilegium habent, ut sunt communiter religiosi et moniales. Multi etiam viri nobiles habere solent hæc privilegia, et per bullam etiam Cruciatæ conceditur, et per alias, quarum tenor attendendus est et servandus. Dubitari autem potest, an jure communi excipiantur aliquæ personæ Ecclesiasticæ ab hac generali regula. Dicunt enim aliqui, quando locus, vel Ecclesia per generalem censuram interdicantur, clericos ad talem Ecclesiam pertinentes, quique ibi possunt officii divinis interesse, juxta cap. Alma mater, posse etiam ibi Eucharistiam sumere. Ita Sylvest., verb. *Interdictum*, §, num. 9, citans Geminianum, in dict. cap. Alma. Alioqui (ait Sylvester) stante eodem interdicto posset hodie alicui licere communicare, cui heri non licebat; ut si heri erat diaconus tantum, et jam ordinatus est sacerdos. Sed hoc nullum inconueniens est, tum quia est mu-

tatus status personæ; tum etiam quia non est sermo de eadem communione; illi enim sic de novo ordinato sacerdote licita est de novo communio sacerdotalis, seu sacrificialis, ut sic dicam, quia novam potestatem sacrificandi accepit; de alia vero communione eadem quæstio manet. Fundamentum ergo illius sententiæ sumi debet ex cap. Alma, ubi conceditur clericis Missas et divina officia celebrare cum circumstantiis, de quibus infra; ergo etiam eis conceditur, ut possint Eucharistiam accipere; nam hæc est veluti pars divinarum officiorum.

34. *Opposita sententia communis.* — Hæc vero sententia communiter non approbatur, ut colligitur ex Covarruvia, dict. cap. Alma, part. 2, § 5, num. 6; Navarro, cap. 27, num. 178, et ex aliis, quos ipsi referunt, et ex Panormitano supra. Et fundamentum est, quia illa concessio cap. Alma, ex vi et proprietate terminorum non extenditur ad communionem laicam Eucharistiæ, quia illa nec est sacrificium, nec pars ejus, nec etiam est divinum officium, prout ibi accipitur, nec pars illius; sicut enim inter effectus interdicti distinctos est privatio sacramentorum a privatione divinarum officiorum, ut ex discursu hujus, et sequentis disputationis, constabit, ita concessio seu relaxatio unius effectus per se distincta est, et non comprehendit alium effectum. At vero communio hæc, licet clericis vel sacerdotibus detur, ex se laica est, et ita in jure appellatur, ut alibi tractavimus; ergo non comprehenditur in dicta concessione. Et confirmatur, quia ibi Pontifex solum concedit clericis tanquam ministris Ecclesiæ, quod possint facere divina, sicut prius; sed communicare non est officium ministrorum, neque prius id faciebant tanquam ministri. Et rationes, quibus ibi Pontifex motus esse dicitur ad concedendum illud ministerium, locum non habent in recipienda Eucharistia laicorum more; ergo non est illa concessio ad hunc casum extendenda.

35. *Quid in hæc controversia sentiendum.* — *Tom. 3, disputat. 69, sect. 3.* — Inter has sententias non est facile iudicium ferre, ut etiam sensit Calderinus in suo tractatu de Interdicto, et Paludanus, in 4, dist. 18, q. 8, num. 30, qui dicit Papam esse super hoc consulendum. Quamdiu tamen ejus iudicium non habemus, probabiliter potest defendi prima sententia ex alio fundamento, nimirum quod cui conceditur facultas assistendi Missæ sacrificio, conceditur etiam, ut de illo partici-